



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XXVII. Societas, & origo quattuor Abbatiarum Belgicarum
exemptarum, maximeqúe illustrium, quæ Romano Pontifici immediatè
subsunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

VVERDENA, Imperiale monasterium in eiusdem nominis opido, Ducatus Mōtensis, diœcesis Colonienſis, in honorem ſancti Ludgeri fundatum, Vnioni Bursfeldēſi additum eſt anno 1477.

VVIMMELBURGENſE m. diœceſis Halberſtatenſis, in honorem S. Sebaſtiani martyris fundatum, Bursfeldenſi Vnioni incorporatum eſt anno 1492.

VVIſſENBURGENſE monaſt. Capitulo & obſeruantia Bursfeldenſi vnitum anno 1514.

Hactenus de monaſterijs Vnionis ſeu Cōgregationis Bursfeldenſis, quæ hodieque floret, & annis ſuperioribus Colonia excitauit Collegium ad ſui inſtituti Sodales ſacris literis inſtruendos.

CAPVT XXVII.

Societas & origo quattuor Abbatiarum Belgicarum exemptarum, maximeque illuſtrium, quæ Romano Pontifici immediatè ſubſunt.

IN Gallia Belgica quattuor ſunt illuſtria admodum atque opulenta Benedictinorum cœnobia, *Vedaſtinum, Blandinienſe, Bertinianum & Lobiſenſe*, quæ ſacro Societatis nexu inter

inter se vineta ; suum sibi Visitatorẽ, ex quattuor Abbatibus vnum, constituunt, suntque ab omni Ordinariorum imperio exempta.

Vedastinum in vrbe & diœcesi Atrebatensi, *Blandiniense* in vrbe & diœcesi Gandensi (sic tamen vt peculiarem habeat iurisdictionem etiam politicam) *Bertinianum* in vrbe & diœcesi Audomaropolitana, *Lobiense* in diœcesi Cameracensi quidem, sed sub ditio- ne politica Leodiensi, ad Sabim fl. situm habent. De singulorum origine libet pauca subnectere ex historica Relatione, quam ad me misit Illustris Præsul D. Ph. Cauerellus Abbas Vedastinus. Venerandæ antiquitati cum multa iure debeantur, multa passim tribuantur, operæ pretium omnes esse putant, vetustas origines, ortusque per antiquos sibi facere. Quibus cum alij, atque alij variè cœtent, sæpe etiam ficto titulo (nulla enim alia in parte historiæ plus offenderis vanitatis) lubet in præsens excutere, & paucis designare, quæ & quanta sit antiquitas monasteriorum primariorum nostri Belgij, *Vedastini* nimirum, *Blandiniensis*, *Bertiniani*, ac *Lobiensis*. Qui labor parum sudoris habiturus videtur, si rem à capite accersamus, & referamus vnumquodque istorum monasteriorum ad primum suum auctorem ac principium. Constat enim & euinci potest ex nomine, quinam horum tam illustrium mo-

monasteriorum auctores primi fuerint: Beatus *Vedastus* nimirum Vedastini: Diuus *Amā-
dus* Episcopus Tungrensis, Blandiniensis; S. *Bertinus* Abbas, Bertiniani; & S. *Landelinus*,
Lobienfis. Constat item & probari potest i-
doneis ex auctoribus, quo tēpore floruerint
dicti viri sancti.

Atque in primis, vt ab antiquissimo exor-
diamur, certū est B. *Vedastum*, quarto à Chri-
sto sæculo, hoc est, ante annum Dominicæ na-
tiuitatis quingentesimum, esse in hanc lucem
editum. Cū enim anno Domini quingente-
simo (vt plurimi tradunt Historiographi) vel
quadringentesimo nonagesimo nono, vt ha-
bet Catalogus Episcoporum Atrebatensium,
Catechisten se præstiterit Clodoueo Regi
Francorum, pietate Christiana imbuendo; e-
rat procul dubio natus aliquot antè annis.
Cuius rei ordinem latè Albinus Alcuinus ex-
sequitur in ipsius Vedasti historia, Baldericus
Sacellanus Gerardi Cameracensis in Chronico
Cameracēsi, siue historia Episcoporum Atre-
batensium & Cameracēsiū, manuscriptus Ca-
talogus Episcoporū Atrebatēsiū, & alij ple-
rique historiæ Francorum scriptores, in rerū
à Clodoueo primo gestarū narratione. Inter
quos id etiam aliqui expresserunt, Clodoueu
ipso regni anno 15. sacro ablutum esse laua-
cro. Hincmarus Bremensis Archiepiscopus
in narratione historiæ seu vitæ Diui Remi-
gij, tradit Clodoueu vxorem duxisse Cro-
tildem

tildē anno regni sui decimo, victoriam obtinuisse, & baptizatum fuisse anno decimo quinto, Clodoueo regnante. A quo parum aut nihil dissentit Catalogus Episcoporum Atrebatensium, dum tradit anno incarnationis Dominicæ quingentesimo minus vno Clodoueu sibi adsciuisse Vedastum itineris socium. Quibus consentiunt Massæus, Gerardus Mercator, Sigebertus Gemblacensis, & alij Chronologi. Vt meritò ex Gregorio Turonensi lib. 2. cap. 30. & 31. scribat Genibrardus de Clodoueo: *In eius annum decimum quintum Christi quingentesimus incidit, quo suscepto baptismo Christianus efficitur, & ita quingentesimo Francorum gens, Rege viam præmonstrante, Christianis mysterijs initiatur.* Post Regium verò Baptisma Catechiste Vedastum beato Remigio abs Rege commendatū cum eo mansisse, & cooperarium eius haud segnem fuisse, ex ipsius Vedasti historia ab Alcuino memoriæ commendata liquet. Tempus quidem non exprimitur, scire tamen licet, cum omnes consentiant anno Episcopatus quadragesimo, Christi quingentesimo septuagesimo Vedastum inter mortales esse desisse; à quo tempore si annos retexamus, occurret, Vedastū abs Remigio creatum Episcopum Atrebatensem anno Domini quingentesimo tricesimo: atque ita facillimè colligetur Vedastum cum Remigio egisse annis triginta.

Anno

Anno igitur quingentesimo trigesimo B. Vedastus Præsul datus Atrebatibus (quod expressit Chronicon ms. incerti auctoris, cuius initiū est *Orthodoxi Patres*, quodq; in D. Vedasti monasterio adseruatur) in nouā ingressus prouinciam, non sic cū Martha in opus incubuisse credendus est, vt Mariæ penitus obliuisceretur: cū istud certum & constitutū S. Patres oēs habuerint, quando aliquid operis adire necesse eis fuit, vt statim à Marthæ consuetudine redirent ad Mariā, à praxi ad theoriam, ab actiua vita ad contemplatiuam. Complurium tamen scriptores historiarum nihil referre iudicauerunt, si minùs id exprimerēt in sua narratione, tū quòd id satis intelligi posse ex alijs virtutibus censerent, tum quòd vix opus esset ea attingere, quæ plerisq; omnibus sanctis viris essent vsitata. Idem & omisurus erat, imò iam omiserat Alcuinus in historia Vedasti, nisi ex occasione eius rei postea meminisse opus fuisset. Solitudinis enim oratorij, seu monasterioli Vedastini tum demum meminit, cū auferre volentibus sacrum corpus defuncti Vedasti, & inferre meditantibus in ædem Diuæ Virgini Matri sacram, nullo conatu moueri potuisse feretrum refert. Quæsitum .n. cū esset à viro religioso *Scopitione*, quid rei esset, respondit se sæpius audiuisse à B. Patre, quòd nullus intra muros ciuitatis sepeliri deberet, quia ciuitas quæque locus debet esse viuorum, non mortuorum.

M

Ac

Actum demum subiungit ipse Alcuinus: *Ve-
lebant siquidem illum in Ecclesia beata semper Vir-
ginis Mariæ ubi in Sede Pontificali præsederat, tu-
mulari: ipse verò sepultura sua locum in oratorio,
quod paupere sumptu, id est, ligneis tabulis, propter
littus Crientionis fluuioli adificauerat, fieri dispo-
suisse cognoscitur.*

Ex quibus liquet, Vedastum (quem ali-
quando Clodoueus apud Tullum laudabili
religione soli seruire Deo, & dulcissimos cõ-
templatiuæ vitæ carpere fructus agnouerat)
non sic Episcopum egisse apud Atrebates, vt
quem antè præstiterat monachum, prorsus
exueret: imò verò tanquam Pontificem ha-
buisse eũ basilicam suã, Ecclesiam videlicet B.
Mariæ, & non longè ab ea domum Pontifici-
am; tanquam monachum verò oratorium suũ
siue monasteriolum habuisse extra urbem,
palude sic obsitum, vt adiri nõ facile posset à
populo. Expressit Alcuinus, situm fuisse pro-
pter littus Crientionis fluuioli, vt ipsa vrbe
& situ locorum longa temporum intercape-
dine, nunc admodum licèt dissimilibus, etiã
num agnoscas situm Vedastinę domus; agno-
scas simul sanctissimos & antiquissimos ortus
monasterij, quos repetas ab an. Domini quin-
gētesimo tricesimo; quãdo pietate monachũ,
vigilia & verbo Episcopum Vedastus se præ-
stare cœpit Atrebatibus. Hunc etenim annũ
insignè & venerabilem esse debere Atreba-
tibus beati Patris Vedasti aduentu, ex annis
gesta

gestæ Pontificalis prouinciæ, quam obtinuit annis quadraginta, & ex designatione anni, qua vitam mortalem cum immortali cõmutauit, cõstare iam diximus. Ne aut de ingenio situve loci terg uersari quis possit, rem cùm Alcuinus in S. Vedasti historia cap. II. tum Fulbertus in S. Autberti vita ijsdem verbis designant scribentes, *Autbertum aurora rubente, orientem versus intendentem, vidisse eminus trans fluuiolum, qui Crientio vocatur, virum splendidum, virgam manu tenentem, basilicæ locum metiri, in quem postea locum Autbertus Vedastum transfulerit.* Orbæ enim fuit suo parente monasteriolum Vedastinum ad septimum vsque ab eo Pontificem Atrebatensem Autbertum. Atque ita iacere sacra ossa cineresque S. Patris in Ecclesia B. Mariæ annos circiter **xxcviij.** etsi corruptis transpositisque ac perturbatis numeri notis perperam legitur in Catalogo Episcoporum Atrebatensium **cxviii.** Exemplar libelli de virtutibus Vedasti (quem fratres monasterij Vedastini collegerunt) habet eundem numerum **cxviii.** cùm alia exēplaria monasterij nostri, nominatim is liber, qui ab integumento suo illo vocatur *Le huye,* habeant **cxviii.** Annos dico octoginta septem, vel octo, ad annum videlicet Domini 68. quo anno nõ modò liber de virtutibus Vedasti, sed & Sigebertus in Chron. an. 658. & Massæus in Chron. Cameracensi Vedastum ab Autberto transf-

latum testatur, cum Autbertus monasterium S. Vedasti egregiè auxisset.

Quod quidem postea, B. *Vindiciano* Episcopo satagente, à *Theodorico* Galliaë Rege, sub annum Domini 688. sic auctum, instructum ac dotatū est (dum necem Leodegario, sanctisq; alijs viris illatam insigni pœnitentia eluere Rex cupit) vt tanto splendore perstricti, nonnulli tenues illas origines, primaq; principia Vedastini monasterij non indagauerint, illiusque conditorem *Theodicum* crediderint: eo fortassis etiam commoti argumento, quod tum primum Abbatem monasterio Vedastino præfectum ferant, qui & fuerit Blandiniensis Abbas. sed rectè potuit nouellus & non magnus grex à Priore seu Præposito, vel pio aliquo Patre non paucis regi annis, inter ceteros ab ipso Autberto, què par est simul patrem sese præstitisse, & conditorem, siue amplificatorem. Quod de B. *Amando* Tungrensi Episcopo, primo suo conditore tradunt Blandinienses: neque istud nouum aut mirū videri debet. Primò .n. videmus plerisque in locis sensim coaluisse ciues, antequā vel urbè conderent, vel magistratum crearent. Cuius illustre habemus exemplū in ciuitate & Rep. Venetorum, quæ primò varijs sese Tribunis credidit, antequam sibi necessarium Ducem ac Principem crederet aut crearet. Ita Franci & pleriq; alij populi sub Ducibus diu egerūt, antequam sibi Regem crearent.

Errore

Errore itaq; numeri temerè creditum est, translatum esse Vedastum anno Domini 688. Cùm .n. scriptum esset, translatum esse an. 88. is numerus creditus est designare nati Seruatoris annum, omisso maiore numero. Cumq; temerarius aliquis addidisset 600. irrepsit error à paucis animaduersus, translatum esse Vedastum anno Domini 688. cùm is numerus octoginta & octo annorum, non Christi nati annos, sed annos obitus Vedasti vsq; ad translationem exprimeret. Numerantur enim ab anno Domini quingentesimo septuagesimo, quo obiit Vedastus, ad sexcentimum quinquagesimum octauum, quando idem translatus est, anni omninò 88. Qui quidem numerus expressus fuisse creditur hisce notis, & in hùc modù dispositis **XXCVIII**. quæ sciolus aliquis non capiens perturbauit in hunc modù **CCXVIII**. scribens, Vedastu translatu esse an. Domini 698. quando nec *Authbertus*, nec *Audomarus*, nec *Lambertus* superfuisse creduntur.

Errorem animaduertit aliquis, & id sanare conatus est, detracta decennarij numeri altera nota; sed læsit is periculosius, cùm non detrahendæ, sed transponendæ & suo ordini restituendæ essent numeri notæ. Quod dum facimus, Vedastum comperimus, translatum anno Domini 658. quod exprimit Sigebertus Gemblacensis & Massæus Cameracensis, imò & ipse Alcuinus, de translatione Vedasti agens, dum scribit,

M 3

Mi-

Miracula, quæ tunc gesta perhibentur, & quæ iam per annos fermè centum sexaginta, per merita B. Vedasti patrata sunt, nullo esse stilo memoriæ tradita. Cùm enim Alcuinus hæc ad *Raddonem* Abbatem Vedastinum sub annum Domini octingentesimum decimum quintũ scriberet, si detrahamus huic numero annos fermè centum sexaginta, cum Sigeberto & Massæo, translationi S. Vedasti dicabimus annum Domini circiter sexcetesimum quinquagesimum octauum, ipso auctore Alcuino. Resque tota consentit cum anno obitus seu martyrij D. Lamberti, qui in annum sexcentesimo quinquagesimum octauum incidit, quem interfuisse translationi S. Vedasti, cum Autberto & Audomaro, scribit Sigebertus.

Cùm igitur de antiquitate quæritur, tum alia, tum Vedastina, non à splendidissimis quibusque, sed à minimis primisque initijs numerandum est, qualiacunque illa fuerint, quæ, nõ mirum est, si multi prætereant vt obscura, multi non prodant vt minùs illustria. Quanquam si rectè censemus, nec obscurus, nec parum illustris fuit accessus B. Vedasti ad Atrebatem, qui gemino statim miraculo claruit, non obscura, nec parũ illustris solitudo, siue oratoriũ, siue monasteriolũ dicas, vbi condidit defunctus optabat, dum viueret. Sacer profectò fuit vel tum locus, aut prophanam sepulturã optasse Patrẽ falsò dicemus. Tum dico,
vel

vel statim post aduentum in prouinciam, sub annum Domini quingētesimum tricesimum, vel cūm prouincia defungeretur, sub annum 570. Et hæc quidē haectenus de Vedastini cœnobij origine.

Blandiniensis monasterij origo.

Blandinienses primum conditorē B. *Amandum* Episcopum Tungrensem agnoscunt; quibus suffragantur auctor vitæ B. Amandi, Ioan. Molanus, & alij. Neque tamen hic, neq; ille, quo anno id opus aggressus sit, scribunt: sed Catalogus Abbatum Blandiniensium cœptum asserit Regis Dagoberti an. xiv. præsidente Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, anno V. Papa Martino. Itaque perperam legitur in eodem Catalogo, cœptum id opus anno Dominicæ incarnationis DCX. cūm Massæo & alijs Chronologis Dagobertus regnum inierit sub annum sexcentimum tricesimum, & Martinus primus Tudertinus (de nullo enim alio hæc possunt accipi) Sedem Pontificiam adeptus sit sub annum sexcentimum quadragesimum aut quadragesimū tertium, iuxta Onuphrium. Atque ita cœptum oportet hoc opus (vt antiquissimā eius euoluamus originem) anno Domini sexcentesimo quadragesimo quarto. Ex quo numero scriba temerarius facilè notas aliquot vel studio vel ignauia detraxerit; quod & contigit plurimis in locis dicti Catalogi: multò vt certior de-

beat haberi designatio tēporis per annos regni Dagoberti & Pręsulatus Martini primi summi Pontificis.

Sanè ratio historiæ ac gestorum B. Amandi non finit credere Amandum venisse in has prouincias ante tempora Dagoberti Regis, Patris Sigeberti & Clodouei. Quod vel ex eo potest intelligi, quod scribatur in ea historia, tribus lustris siue annis quindecim egisse in cellula sub cura Austrig filii Episcopi Bituricensis; indeque Romam abiisse: varijs deinde locis per Galliam euangelizasse, inuitum à Rege & sacerdotibus Episcopum esse ordinatum Tungrensem, & cum loca vel diœceses, ob animarum sollicitudinem, circumiret, audisse pagum esse quendam iuxta fluenta & caldis fluuij, cui vocabulum est *Gandauum*. Ad quem cum nullus ire auderet, euangelizandi gratia, per Aicarium Episcopum Nouiomensē impetrasse licentiã à Dagoberto Rege. Et Catalogus Abbatum Blandiniensium disertè scribit beatissimum Amandum tempore, quo scepra regni Francorum gubernabat Rex fortissimus Dagobertus, prædicationis gratia adijisse Gandælis castri territoria.

Ex quibus certè constat, numerum sexcentessimū decimū pro alio longè posteriore, sexcentesimo videlicet quadragesimo quarto aut alio vicino irrepisse in Catalogum Abbatum Blandiniensium, & in alias eorū schedas

das ac membranas. Erunt ad hunc numerum, tanquam ad Lydium lapidem, probandi & restituendi numeri annorum regiminis primorum Abbatum Blandiniensium, quos necesse fuit perturbari, dū è falso principio ducerentur, & ad rem malè constitutam componerentur. Quibus fit, vt illæ numerorū notæ nullius sint auctoritatis, vt nec illi versiculi:

In sexcenteno deno fundauit Amandus

Anno Blandinium, patronum dans ibi Petrum.

Nec dissimilis est error, isq; multiplex, dum idem Catalogus refert, anno incarnati verbi DCC. LIII. & an. 7. Theodoricus Regis Hattā cœpisse regere monasterium S. Vedasti, cum cœnobio Blandiniensi: vt minimū enim detrahenda altera nota centenarij.

Ceterū non diu Blandiniensibus res lætæ fuerunt, quos vnà cum *Cælestino* eorum Abbate domo & patria eiectos à Carolo Martello memorat idem Catalogus: adeò vt anno 765. exul Romæ Cælestinus obierit, Clericis & Canonicis in locum monachorum succedentibus per annos centum & decem: vt habet idem Catalogus, vsq; ad tēpora Ludouici Pij, qui filius fuit Caroli cognomento Magni, à quo proferunt primas exemptionis & immunitatum litteras. In quibus id subit admirari, quomodo dicat Ludouicus genitorē suum Carolum & antecessores monasteriū istud sub plenissima defensione & immunitatis tuitione habuisse, si tādīu monachi abfuere,

M 5

nisi

nisi hic, quod & alibi sepius fieri animaduerti, templa & collegia Canonorum, monasteria dicantur.

Surrexit autem postea Blādinensium gloria, à *Baldvino Ferreo* Comite Flandriæ translatis ad eos S. *Amelbergæ* virginis reliquijs, anno Dominicæ incarnationis 870. vt idem habet Catalogus. Monachos enim non memorat restitutos idem Catalogus, nisi ab *Arnulpho* Comite Flandriæ; quem & præfecisse monasterio illi (quasi post longum interregnum) S. *Gerardum Cellesem* annotat, cuius regiminis annum tertium insignem fuisse aduentu sanctorum corporum *Vvandregisli, Ansberti & Vulfranni* in Blandiniense monasterium, tradunt. Quod etiam habet Ioannes Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij, addens id contigisse anno 944.

Bertiniani monasterij origo.

Bertiniani ad S. *Bertinum* sui monasterij referunt principium, assignant que huius operis initio annū Christi nati sexcentissimum quadragesimum, & tempora Martini Papæ primi. Dicunt enim S. Bertinū, sub annū Dñi quingētesimum nonagesimum (Chronica illorum habent, anno quingentesimo nonagesimo vel circiter, Catalogus Abbatum, anno quingentesimo octuagesimo octauo) pueritiam & adolescentiā egisse in monasterio Lu-

xouienſi, & à Clotario cum ſocijs exceptum, diu apud eum in aula egiſſe; adiſſe deindè illum cum ſocijs S. Audomarum tunc Morinensem Episcopum; adiutū eius conſilio, & rebus *Aldroaldi* viri illuſtris ac prædiuitis, inſtituiſſe vetus, quod vocant, monaſterium ſuper fluuium *Agnona* anno Domini ſexcēteſimo vigefimo ſexto: ſed anno poſt decimo quarto, hoc eſt, anno Domini ſexcentefimo quadrageſimo, quod incommodè eo loco habitaret, migratſſe aliò, aliudq̄ue condidiſſe monaſterium, cui & priuilegia immunitatis obtinuerit à *Theodorico* Rege, & in quo mortem obierit & conditus ſit, anno ſexcentefimo nonageſimo octauo, & vbi ſacræ eius reliquiæ honorentur, translato & recondito eius corpore à beato *Folquino*, anno octingentefimo quadrageſimo ſextò, vt ſcribit *Molanus* ad *Vſuardum*, decimo ſexto Iulij, vel anno 843. vt *Chronica* habent *Bertiniana*, cuius item glorioſa eleuatio contigerit an. *Dominicæ incarnationis milleſimo quinquageſimo ſecundo*.

Et ſic quidem *Bertiniani* tradunt. ſed quī fieri potuit, vt anno ſexcentefimo vigefimo ſexto *Bertinus* monaſterium vetus & anno ſexcentefimo quadrageſimo nouum condiderit, cū ex ipſis *Chronicis* & *Catalogo* *Abbatum Bertinianorum*, itemq̄ue ex *Molano* conſtet, *Audomaro* Pontifice *Morinenſi*, veniſſe in eam prouinciam beatum *Bertinum*?

Cū

Cùm enim Audomar⁹ (vt habet eius historia, quam à Folcardo Bertiniano monacho scriptam tradunt Surius & Molanus) postquam triginta annorum spatio Morinensis seu Teruanensis Ecclesia tanto esset potita Præsule, mortem oppetierit; oppetierit autem (vt & ipsa Bertinensis habet Chronica, etsi in quibusdam exemplaribus corruptus est numerus, & Iacobus Meyerus & Ioannes Molanus) anno Domini sexcentesimo nonagesimo quinto, effici videtur, D. Bertinū in hanc prouinciam venisse circa annum Domini sexcentesimo sexagesimum quintum, vt vel primo Pontificatus S. Audomari anno aduentum S. Bertini adscribamus.

Atque ita vt primo aduentus anno vetus monasterium excitauerit Bertinus, nepe anno Domini sexcentesimo sexagesimo quinto; secundum verò monasterium, seu id, quod modò exstat, struere cœperit anno sexcentesimo septuagesimo nono.

Lobensis monasterij origo.

LObienses suos ortus beatis Landelino & Vrsinuro acceptos ferunt, & in veteri suo Martyrologio sic legunt: Anno ab incarnatione Domini sexcentesimo tricesimo octauo, Dagoberto seniore Franci principante, cuius filij fuerunt Clodoueus & Sigebertus, Martino quoque Apostolica

Sedi presidente, Lobienſis Eccleſie fundamenta iecit Landelinus, ab Autberto Cameraceniſi Præſule ex prædone conuerſus ad Chriſtum, in foreſte regia ſuper Sambram fluium, & Laubacum riuulum, diſtante tribus ferè millibus à Liſtinijs, tunc ^{Liſtinenſis ſeu Li-} temporis ſede regali, datis à Martino Papa B. Landelino multis Sanctorum reliquijs & ibidem con- ^{painenſis Synodus inde di-} geſtis. Sed vt iſta non nihil expendamus, non ^{cta.} video quomodo S. Landelinus anno 638. fundamenta iacere potuerit, vitiumque aliquod irrepiſſe in notas numeri exiſtimo, quod percurrenti vel leniter hitorias S. Autberti & S. Landelini luce meridiana clarius euadet. Et primùm quidem ſcriptor vitæ S. Landelini tradit, eum ortum eſſe temporibus Dagoberti inclyti Regis. Idem Ioannes Molanus tradit. Habet deinde Fulbertus, parètes fonte Baptiſmatis innouādū & diſciplinis ſacris imbuēdū B. Autberto tradidiſſe. Cui cōſentiūt ſcriptor vitæ Landelini, & Ioannes Molanus. Vnde conſtat ipſum pueritiam & adoleſcentiam egiſſe apud S. Autbertum litteris ab eo & bonis moribus imbutum; ſed victum aliquando arte dæmonis (quæ hominum eſt fragilitas & negligentia) cū in virum euafiſſet, latronem & prædonem egiſſe. Reuocatum tandem Autberti orationibus aſſiduis diuturnam egiſſe pœnitentiam: ſic purgatum ab Autberto in partem cleri adſcriptū, profectum inde Romam,

mam, demum rediisse ad Autbertū, & ab eodem Diaconum & Presbyterum esse ordinatum, tum denique in solitudinem secus fluenta Sābræ concessisse; vt habet Fulbertus, & ad euacuādā prioris vitę maculam, in locis, quæ sibi ad refugium & receptaculum latronum parauerat, apud Laubias exstruxisse monasterium in honorem B. Petri Apostoli, quod & regijs dotarit muneribus, ac villarum familiæque repleuerit copia, & cui quidquid Regum munificentia passim per Francorum acquisiuit regna, delegauerit. De his & alijs vide plura in Balderici Chronico Camera-censi.

CAPVT XXVIII.

*Congregatio Fuliensium monachorum, in
stituti Cisterciensis per Ioan-
nem Barrerium insti-
tuta.*

SExcenta amplius eaque illustria in regno Galliæ sunt monasteria, Abbatiali dignitate illustria. Sed vnum hoc imprimis omnes boni deplorant, pleraque non regulares, sed Commendatarios, vt vocāt, Abbates habere. Quo fit, vt non modò rigor disciplinę monasticę soluatur, sed & prædia ac vectigalia annua paulatim diminuuntur, ac pereant. Exstat eadere insignis libellus monitorius *Ioannis Filescii*